

que decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus et redditibus, viis et inviis, quaesitis et inquirendis ac cum omni utilitate, quae ullo modo inde provenire potest, in proprium tradidit. Hanc igitur traditionem ob interventum ac petitionem dilectissimae genitricis nostrae A. imperatricis augustae, simulque ob fidele servitium Brvnonis praedictae ecclesiae episcopi nostra regali auctoritate stabilivimus et confirmavimus, ea videlicet ratione, ut praedictus episcopus ceterique sui successores liberam dehinc potestatem habeant tenendi commutandi precariandi vel quicquid eis pro usu suae ecclesiae placuerit inde faciendi. Et ut haec nostra regalis confirmatio stabilis et inconvulsa omni permaneat aevo, hanc cartam inde conscribi manuque propria ut subtus cernitur corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis. (L. M.)

Fridericus cancellarius vice Sigifridi archicancellarii recognovi. (L. S.)

Data est II. Nonas Febr. anno dominicae incarnationis M. LXII. indictione XV., anno autem ordinationis domni H. quarti regis VIII., regni vero VII. Actum Aldstedi in dei nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das aufgedrückt gewesene Siegel des Königs ist abgefallen, jedoch im wesentlichen noch vorhanden.

No. 28. 1063. 13. Jan.

*K. Heinrich IV. bestätigt die von seiner Mutter der Kaiserin Agnes bewirkte Schenkung von 50 Hufen im Burgward Schrebitz im Gau Deleminze an die Stiftskirche zum Nutzen des Capitels.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Notum esse volumus omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam praesentibus, qualiter dilectissima genitrix nostra Agnes imperatrix augusta pro remedio animae patris nostri, divae memoriae Heinrici imperatoris, nec non pro sua nostraque incolumitate et corporis et animae, quoddam suae proprietatis praedium, quinquaginta scilicet mansos in burgwardo Serebez et in pago Deleminze, in comitatu vero Ottonis marchionis sitos, cum omnibus pertinentiis suis ad monasterium in Misine in honore sancti Johannis apostoli et evangelistae et sancti Donati martyris consecratum ad augendum ac meliorandum praebendam confratrum ibidem deo sanctisque praedictis famulantium, nostro assensu tradidit, nosque eandem traditionem, quo firmior esset, manuscripto nostro corroborare postulavit. Cuius iustis petitionibus nos adquiescentes praedictum praedium cum omnibus adpenditiis suis, hoc est utriusque sexus mancipiis, terris cultis et incultis, areis, aedificiis, agris, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, rivis, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et redditibus, quaesitis et inquirendis et cum omni utilitate, quae ullo modo inde provenire potest, praefatae Misinensi ecclesiae, cui praesidet Brvn venerabilis episcopus, concedimus et confirmamus, ea scilicet ratione, ut eiusdem ecclesiae praepositus illud in sua possessione ad usum supradictorum confratrum perpetualiter habeat, nullaque alia magna sive parva persona potestatem in eo exercent. Et ut haec nostra regalis confirmatio